



1766, 6 / 8

THEMA INAUGURALE
DE

IVSTA REVISIONIS
SENTENTIARVM CAMERALIVM
RESTRICTIONE,
IN ALIQVOT THESES REDACTVM

QVAS

376

SINE PRAESIDE
EX DECRETO ET AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
IN CELEBERRIMA LVDOVICIANA

PRO

GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQVENDO

AD DIEM X. IVNII A. R. S. CIO IDCC LXVI.

PLACIDO

EXCELLENTISSIMORVM PROCERVM EXAMINI

SVBMITTIT

WILHELMVS CHRISTIANVS
ROTBERG

WETZLARIENSIS.

GISSAE

EX OFFICINA BRAVNIA.

17



THEMA MAGISTRALIS
DE

IVSTA REVISIONIS
SENTENTiarVM CAMERARIALIUM
RESTRICTIOE
IN ALLOYOT THESES REDACTAM

SINE PRÆSIDE
EX DECRETO ET AUCTORITATE
HÆRESIS JURISCONSULTORUM ORDINIS
IN CELEBRATA IUDICIALI

GRADVS
ORIS
UNIVERS.
HALLE

AD HÆC
WILHELMVS CHRISTIANVS
ROTTBERG
EX OFFICINA BRANIVM





DE

IVSTA REVISIONIS SENTENTIARVM
CAMERALIVM RESTRICTIONE.



I.

Instantiarum multiplicatio, nisi eam
vrgeat summa necessitas, declinan-
da, vtpote quae in praeiudicium
tam reipublicae, quam litigantium
veplurimum vergit.

II.

Reipublicae enim profecto interest, *ne lites pae-*

A 2

ne

ne fiant immortales, & vitae hominum modum excedant a); quod lites per plures instantias protrahendo vix euitari poterit.

- a) Sunt verba legis 13. C. de iudiciis. Eodem fundamento nituntur decisiones L. fin. ff. pro suo, L. 2. C. de re iudic., ac L. 2. pr. ff. de aq. plu. arc. & plurium aliarum legum.

III.

Nec non deploranda litigantium conditio, quibus victoria, in vna vel pluribus instantiis obtenta in proxime superiori nouam parit litem, voluminofitate actorum iam magis intricatam & sumtuosam a).

- a) Quod cauendum; "ne sunt verba legis 11. in f. C. de reb. cred. repetita lite finis negotii alterius causae sit exordium.

IV.

Ad minimum aequitas postulat, vt parti, per aliquot instantias victori, victoria sua tandem frui liceat a).

- a) Agnouerunt hanc certe non cerebrinam aequitatem Legislatores Romani in L. vn. C. ne in vn ead. caus., cauendo: "ne post tres conformes sententias prouocationi vltiori locus relinquatur.

Ex eodem aequitatis principio, praesertim si causae ab inferiori instantia ad *Cameram Imperialem* delatae ibique decisaee reuifio petitur, deriuandum, quod Reuifio in *Supremo Camerae Imperialis Iudicio* effectu suspen-

suspensio careat; licet eo alias causas, potissimum vero animum Legislatorum, Reuisionis remedium quocunque modo restringendi, excludere nolim.

V.

Et ne sententias Iudicum, fortissima *iustitiae praesumptione* munitas a), iniustitiae & iniquitatis arguere promiscua sit venia, sensus communis iam dicitur.

- a) Praeter generalem, quam pro se habet, magistratus, bonitatis praesumptionem, de qua vid. IAC. FRID. LVDOVICI in *Diss. de praesumptione bonitatis*; specialis adhuc pro eo in actionibus officii sui stat *legalitatis* & *iustitiae praesumptio* L. 2. C. de *offic. ciuil. iud.* in verbis: *quod non arbitramur.* vid. STRYCK. in *Disput. de praesumptione pro magistratu.*

VI.

Ad hasce rationes in recte explicanda Legislatione a) de remedio reuisionis b), eiusque in *Augustissimo Camerae Imperialis Iudicio* vsu diiudicando aduerrendum esse duco c).

- a) Historiam istius Legislationis ea, qua solet, concinnitate exhibet Ill. PÜTTERVS in *Introduct. sua in rem iud. Imp.* §. 465. sqq.
- b) Inter plures, quae de reuisione prostant, definitiones ea inprimis arridet, quam dedit Excell. TAFINGER in *Instit. Iurispr. Cam.* Sect. IV. Tir. VI. §. 1043.
- c) Idem egit *Iudicium Camerale* in considerationibus suis

ad puncta in Conuentu Deputationis de an. 1643. deliberanda (considerationes auf diejenige Puncten, welche bey künftigen Deputations-Tag wegen des Justitz Wesens sollen berathschlaget werden: extat in I. G. de MEIERN *At. Comit. Ratisb.* Libr. IX. §. IV. N. I. pag. 132), ad 6. & 7. punctum, *de abolendis vel saltem restringendis Reuisionibus*, ita edifferens:

“(Sey) nicht zu vermuthen, daß von so vielen mehr
 ”rentheils vornehmen Iuriconsultis (praesuppositis
 ”praesupponendis), und nach so starker Delibera-
 ”tion und Erwegung der Sachen, etwas wider
 ”die *iura* sollte geschlossen, oder pronuncirt werden &c.

& paulo inferius:

“(Sey) nichts nothwendiger, als daß dermahleins
 ”*finis litium* gemacht, und was in Supremo Iudicio
 ”einmahl geschlossen, und decidiret, seinen würtli-
 ”chen *effectum* erreiche, und ohne weitere Ausflucht
 ”exequiret und vollzogen werde &c. &c.”

§. VII.

Quo facto quiuis facile intelliget, huic remedio, quantumuis in se fauorabili & aequitati consentaneo *a)*, effectum suspensiuum iure optimo denegarum *b)* &, ne abuterentur hoc beneficio temerarii saepe litigatores *c)*, arctis circumscriptum esse limitibus *d)*.

a) Aequitatem euincit ratio introductae reuisionis, quam
 R. I.

R. I. de anno 1532. §. 17. in eo assignat, ne ex Supremi Archidicasterii sententiis damnnum contra ius partes sentiant. Quis autem, quaeso inficias ear, aequum esse, ut litigatoribus iniuste grauatim succurratur? Praeterea introductionem remedii reuiforii hoc commodi etiam secum ducere, ut PERILLVSTRIVM DOMINORVM ASSESSORVM *Camerae Imperialis* in perlustrandis actis diligentiam exacuat; sunt verba dicti R. I. in cit. §pho 17. ab initio: Und damit auch Cammer-Richter &c. &c.

Hinc, cum in Considerationibus Cameralibus Reuifionis totalis abolitio Deputatis Imperii proponeretur, hi tantum non omnes secus sensere, ex quorum votis saltem tria, cum apprime ad rem faciant, hic adducere sit venia.

Votum Burgundiacum.

” Reuifiones duplici de causa esse introductas, vna
” Iudicis, altera partium causa; Iudicum quidem;
” ut eo exactius merita causarum examinent, quae ratio in ipsa Constitutione Imperii de anno 1600.
” exprimitur: Partium vero, ut grauatim ad huiusmodi remedium confugere possint: Vtramque rationem etiamnum hodie militare, adeoque rem esse
” problematicam, an eiusmodi Reuifionis plane tolli possint. Et sibi quidem videri, ex quo tanto
” consensu olim approbatae, & tanto tempore conseruatae fuerint, easdem remanere.

Congruit huic fere per totum

Votum

Votum Pomeranicum.

„Dass, weilien die reuisiones aus wichtigen Ursachen --
 „zugelassen, denen Stränden auch viel daran gele-
 „gen, dieselbe nicht allein darum, sondern auch damit
 „die *Camerales in dicendo* desto fleißiger seyn, und
 „die *affectus* bey Seits setzen mögen, beyzubehalten.

& tandem

Votum Brunsvicense

eo respici volebat:

Damit der *abusus* mehr, als *res ipsa* abgeschafft wer-
 den möge.

de MEIERN Libr. IX. §. 20. N. I. pag. 244.

b) Praestita tamen a parte victrice idonea cautione de re-
 stituendo adiudicata sibi, si in reuisionis instantia olim
 aliter iudicatum fuerit. Exigunt eam leges Imperii
 hac ex ratione, ne iudicium reuisorium elusorium
 fiat. Interim nihil obstat, quo minus, si alia haberi
 nequeat, in subsidium iuratoria cautio pro sufficienti
 declareretur, praesertim vbi nec reformatio sententiae,
 nec dilapidatio a parte reuisa probabiliter metuenda.

De idoneitate. Cautionis autem sola iudicat Camera,
 reuisionem a sententia definiente punctum cautionis
 de nouo petitam cum animaduersione reiciens. Cau-
 samsa Jud Höchster contra Nassau & Dillenburg nouum ex-
 hibet praeiudicium. Pronunciabatur d. 2. April.
 1762.

„Ist mit Verwerfung der unterm gestrigen Tag durch
 „Nota-

"Notarium H. extrajudicialiter übergebenen Anzeige,
"die durch denselben abermahls nachgesuchten Revi-
"sion als unschicklich und unstatthaft nicht angenom-
"men zc. zc.

"Dann ist wider obgedachten Notarium H., um wiß-
"sen er die zweyte Revision frivole gesucht ---, die
"Strafe eines Mark Silbers in den Armen-Säckel
"innerhalb 14. Tagen sub poena dupli & realis
"executionis vorbehalten.

Casus exceptos, in quibus Revisio effectu suspensiuo
gaudet, vide in *cit.* PÜTTERI *Intr. in rem iud. Imp.*
§. 476. circa finem.

e) Sic vr. gr. teste *Perillustri* quondam *Assessore de LV-*
DOLF. in *Comment. Jur. Cam. Systemat.* pag. 235. nr.
16. sub fine: "interponuntur saepe revisiones, vt
aduersarius, si forte cautionem praestare nequeat,
effectu sententiae non fruatur.

d) Generatim huc spectant, quae ad coërcendum fre-
quentem Revisionum abusum *de causa ac summa reuifi-*
bili Leges Imperii sanciant. Speciatim quoad *reuisio-*
nis interpositionem & in *Camera Imperiali* *introduc-*
tionem parti reuidenti, *ne in interponendo eamque introdu-*
cendo moras nectat, quadrimestre interponendae reui-
sionis, adeo vt nec prorogatio nec contra lapsum hu-
ius fatalis restitutio in integrum locum habeat, prae-
scriptum; *ne ea calumniose viatur*, ipsi & eius aduoca-
to iuramentum reuisorium iniunctum est; *quoad re-*
uisionis prosecutionem, ne frivole interpositam *coram Iu-*
dicio reuisorio temere prosequatur pars reuidens, electio ei

B

relin-

relinquitur, vtrum a Reuisionis interpositae prosecutione, re adhuc integra & refusus expensis, abstinere, an periculum facere velit, vt si friuola deprehendatur Reuisio, succumbentiae pecunia, siue certa actorum taxa, sportulaeque a quouis reidente deponendae in commissum cadant. C. O. C. III. 63. §. 8. R. G. de an. 1557. §. 23. iuncto R. G. N. §. 126.

VIII.

Quos in dubio *a*) potius arctari, quam extendi salus tam publica *b*), quam litigantium priuata *c*) suadet, & clara Legislatorum intentio de Reuisionis abusu omni, quo potest, modo praecauendo *d*) iubet.

a) Verissimum est, quod ait Iulianus in L. 10. ff. de LL. "neque leges neque Senatus consulta ita conscribi possunt, vt omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur & in L. 12. eod. Non possunt omnes articuli sigillatim legibus comprehendi.

Idcirco modo de Legislatorum intentione constat, quid in quouis casu singulari a lege specialiter non notato, iuris sit, ex ea facile statui poterit.

b) Reipublicae enim expedit, vt litium aliquis finis, & ne ad Reuisiones, tanquam remedia plerumque friuola, in summum rei iudicariae detrimentum procliuus sit via. Salus publica autem suprema lex esto.

c) De parte in Supremo Camerae Imperialis Iudicio viatrice res plana; huius enim permultum interest, ne sen-

sententia pro se lata de nouo temere impugnetur, sicque praeter cautionis onus, quod Reuisione interposita & recepta subire tenetur, incerto euentu sententiae a reuisoribus aliquando ferendae crucietur. Si ad partem reudentem respicis, licet in eius fauorem remedium Reuisionis indultum sit, eius tamen etiam referre puto, quod leges, reuisionem angustis includendo cancellis, eius abusum, a parte reudente poena condigna & magnorum sumtuum iactura luendum, auertere nitantur. Tandem, quod potissimum erat, salus reipublicae, quam reuisiones restringendo promoueri probatum dedimus, implorantis fauori merito praefertur. Quod si huic ex reuisionum restrictione damnum exoriat, illud publica compensabitur utilitate.

d) In *Recessu Deput.* de anno 1600. & *Imperii Nouissimo* de an. 1654. in primis perspicua & vtraque fere pagina expressis declarata verbis: sic ille §. 145. "Und obz wohl hierbey --- auf Mittel und Wege zu gedenken, daß unser Cammer Gericht mit denen bishero zu sonderer Vernachtheilung der Justiz, und derselben Execution *indifferent* ohne allen Unterschied gesuchten Revisionen nicht so vielfältig molestiret und beschwehret werde, allerhand vernünftiges Bedenken ereignet. Idem loquitur R. I. N. §. 126. Damit dann auch die Partheyen von denen *frivolis* Revisionibus um so vielmehr abgehalten werden & §. 127. zu Abkürzung der vielfältigen Revisionen.

IX.

Non est forsan, quod hic moneatur, remedii reuisionis, quale in Camera Imperiali obtinet, & Reuisionis sententiae Iudicis inferioris, ob summam inappellabilem, diuersam plane esse rationem *a*).

a) Huius cum appellatione, in cuius locum surrogata est, aequalis fere fauor: Beneficium appellationis autem remedio, quo sententiae Camerales impugnantur, reuisionis multo fauorabilius esse, nec Legislatores de illius restrictione tam sollicitos, quam in hoc restringendo occupatos fuisse, infra, data occasione, demonstrabitur.

X.

Nec ergo permissum ab hac ad illud argumentari *a*).

a) Prohibet enim vtriusque remedii diuersa natura.

XI.

Ab appellatione ad Reuisionem argumentum ductum R. I. N. probat *a*), quod vt recte se habeat, in verbis legis subsistatur *b*), nequaquam autem ad ea fiat extensio, in quibus diuersa vtriusque ratio deprehenditur *c*).

a) §. 125. rem ita definiens: "In Fällen, da die appellationes vermöge gemeiner Rechte nicht zulässig, sollen auch die Reuisiones nicht Statt finden.

b) Cum Reuiss. Imp. Nouiss. cit. loc. ab appellatione ad Reu-

Revisionem argumentari indistincte non permittat, sed certos assignet fines, extra quos argumentatio haec extrauagari non debet.

- e) In eo potissimum perspicua, quod in reuisione *maior metus, ne ea abutantur litigatores, & abusus grauiora sint incommoda*, quam in appellatione; rem ipsam loquantur supra allegatae *Considerationes Iudicii Cameralis* ad 6. & 7. punctum, ibi:

„Es wäre wohl zu wünschen, daß die Reuisiones möchten totaliter aufgehoben, und abgethan werden, in reifer Betrachtung, daß solche nichts anderes seynd, dann *refugium temere litigantium &c. &c.*“

item:

„(Seye) das Revisions Remedium viel ärger, und beschwehrlicher, quam *remedium appellationis &c. &c.*“

Quibus in hoc passu adstipulatur votum *Herbipolense*, in conuentu Deputationis d. 20. Martii 1644. ad protocollum datum:

„Sehe es die Erfahrung, daß die reuisiones ein lauter *abusus*, und *remedium temere litigantium* seyen *u. u.*“

Sic autem non potuit non fieri, quin *Legislatores* de ea magis, quam de hac restringenda cogitauerint.

XII.

Recte inde argumentaberis: in causis, quae
B 3 appellationis

appellationem respuunt, nec reuisioni locus; Quod si a contrario concludere velles: in causis, quae appellationem admittunt, etiam reuisionis admittenda; a vero aberrares.

XIII.

Legem *unicam* C.O.D., *ne liceat in vn. ead. caus.*, a *Celsissima Camera Imperiali* in ordine ad recipiendas a Sententia, bis iam confirmata, interpositas appellationes haud attendi noto notius est a); ad restringendas tamen reuisiones illam vtilissime adhibet, cum hic, quae ibi ex praefatae legis obseruantia metuenda erat imminutio Iurisdictionis Imperialis, non extimescenda, sicque quod ad hanc legem diuersa sit appellationis ac reuisionis ratio.

a) Actum quidem in *Deputationibus Imperii* de anno 1643 -- 51 & 53., nec non in ipsis *Comitiis* de lege hac quod ad *Camera Imperialem* in usum reuocanda, tunc eidem ipsum *Iudicio Cameraali* in saepefatis *Considerationibus* suis, ad *Vtrum punctum*, inprimis suadente, verbis:

”Dann wäre zu bedenken, ob nicht rathsam, und dies
 ”sem Punct statlich abzuhelfen, wann secundum iu-
 ”ra communia statuiret würde, Daß a triplici con-
 ”formi sententia ad Supremum hoc Tribunal nicht
 ”sollte können appelliret werden &c. &c.

Sed in cassum, vti ex *resolutione Caesarea finali* in
 Pto

pto. iustitiae dictat. Ratisbonae a Direct. Mogunt

3. April.

3. May.

1654. apparet, vbi 4) sequentia:

”Und (was) die von denen Ständen ratione trium
”conformium beschehene declaration (anlanget) hat
”es bis auf weitere Vergleichung bey dem alten Herz
”kommen sein Verbleiben.

de MEIERN Libr. XIV. §. 6. N. I. pag. 657. 4).

XIV.

Eidem rationis diuersitati adscribo, quod Statuum Imperii Consilarii actualis in causis suorum Principalium ab iuramento appellationis immunes, a reuiforio immunes non sint.

XV.

Vtrumque quidem iuramentum in eo conuenit, quod de calumnia praestetur, & dum R. I. N. §. Ueber dieses 43. Statuum Imperii Consilariis actualibus in suorum Principalium causis iuramenti calumniae praestationem remittit, dispositio haec generalis ad reuiforium iuramentum etiam pertinere, & recte extendi videtur.

XVI.

Sed quo minus hoc fiat, obstat *primo* intentio Legislatorum, quae in tota Legislatione de reuifio-
ne sententiarum Cameralium; prouti ea in R. I. N.

conti-

continetur, primario haec fuit: Omnem abusum huius remedii praecauendi, illudque restringendi a); cui fini nihil magis conducebat, quam iuramentum reuisorium, a parte reuidente eiusue aduocato b) praestandum.

- a) Quod si uoluissent Legislatores a necessitate, quam Aduocatis indistincte imponunt, iuramentum reuisorium praestandi, Consiliarios Statuum Imperii actuales eximi, dubium profecto non est, quin, quae §pho 43. cauta sunt, §pho etiam 125. inseri curassent. Dum uero hoc non fecerunt, ratio profecto nulla suppetit, quare lege tacente, quin adeo renitente euidenti Legislatorum intentione, a regula: de patrono causae ad iuramentum calumniae praestandum obstricto, in §pho 125. quoad iusiurandum Reuisionis, absque ulla exceptionis §pho 43. factae mentione, de nouo confirmata ac repetita recedatur, accedit L. 14. ff. de LL. & L. 141. ff. de R. I. prohibitio, de non producendo ad consequentiam, quae contra iuris rationem recepta vel constituta sunt, quantumuis eadem subsit ratio.

Eodem fere argumento utitur Dnus de SCHELLWITZ. in *Diss. de Reuisionis remedio. §. 25.*

- b) Aduocati enim, sicuti, bene monente voto *Brunsvicensi* d. 19. Febr. ao. 1644. ad protocollum dictato, *uix plurimum primum mouens & incitamentum ad appellandum, ita etiam persaepe ad reuidentum sunt.*

XVII.

Prohibet porro splendor Summi huius Tribunalis, in quo ad Assessorium officium subeundum non nisi Viri spectatae eruditionis, illaesa fama ac magna res controuersas diiudicandi dextertate praediti admittuntur, vt ideo eorum, quos ipsi Status approbarunt, & Iudices constituerunt, sententias latas vt iniquas vel nullas impugnare, audax & exorbitans omnino sit remedium *a*). Res ipsa itaque postulat, vt, qui Dominis suis auctores & suafores vnice extiterunt, vt remedio isto vterentur, omnem calumniam abesse & porro abfuturam esse iurent *b*).

a) Secus in appellatione; appellans impugnat sententiam Iudicis inferioris, pro qua licet aliqualis iustitiae praesumptio stet, eam tamen in Camerae Imperialis iudicatis longe fortiorem esse, vel ex eo liquet, quod maior in Supremi huius Tribunalis Assessoribus iurium peritia, habilitas & grauitas iure meritoque praesupponatur, ac in iudice quocunque inferiore: nec proin in appellatione talis, qualis in reuisione, subest metus, ne litigans sententiam impugnando ex mera calumnia & temeritate agat.

b) BLVMII *Proc. Cam. Tit. XLVIII. §. 57.* de SCHELLWITZ in *Diff. supra citata. §. 25.*

§. XVIII.

Tandem Camerae Imperiali de materialibus reuisionis

C

uisionis

uisionis interpositae a) nec cognitio, nec proinde talem, quae in causa manifesto iniusta interposita est (*friuolam* vocant,) si quoad reliqua se rite habeat, reiiciendi, ac in partis reidentis eiusque Aduocati temeritatem aut friuolam mentem animaduertendi ius competit b). Quapropter nisi Aduocati, ex quorum, vrpote de meritis causae informatorum, consiliis Principales praesertim Illustres, in sententia Camerali vel acquiescunt, vel Reuisione eam impugnant, ex recta conscientia agant, nullum erit parti reuisae ex causae suae iustitia praesidium, &, quod verendum erat, numerus Reuisionum, dum eas friuole interponendi impunita sit licentia, ad summum rei iniudiciariae & litigantium damnum in dies crescet c). Praeuidere hoc Legislatores sapientissimi, &, vt patronos causarum ab omni deterrent calumnia ac friuolis inceptis, ipsis iuramentum reuisorium *indistincte* iniunxerunt;

Quae omnia, ni fallor, summam huius iuramenti necessitatem euincunt, & ne, quod in appellationibus factum est, quodque ibi absque reipublicae & partium detrimento saltem graui fieri poterat d), dispositio §. 43. R. I. N. ad reuisionem quoque extendatur, magnopere dissuadent.

a) Ne quis verba prolata nimis generaliter capiendo, in errorem deducatur, ac si nulla prorsus *Camerae Imperialis*

pevialis de ipsius causae qualitate cognitio esset, mo-
neo, aliud esse, de materialibus, siue iustitia reuisionis,
cognoscere, aliud, an causa in genere secundum
qualitatem & naturam suam considerata sit reuisibilis;
i. e. talis, quae reuisionem admittat. Posterior haec
cognitio *Summo huic Tribunali* semper integra fuit, &
reuisionem interpositam, vbi secundum ius commu-
ne appellationi locus non datur, optimo maximo iure
ab isto reiciit testatur quotidiana *praxis Cameralis*.

- b) Sed vtrumque iudicio reuiforio, quando illud conti-
gerit, reseruatum est: metus poenae olim dictandae
sicuti remotus, ita ad insignem temerariorum litiga-
torum malitiam cohibendam inefficax!
- c) Quod iterum secus se habet in appellationibus, quas
si friuolas animaduertit *Augustissimum Camerae Impe-
rialis Iudicium*, petitos appellationis processus ab ini-
tio denegat, sicque temerarium litigantem a limine
iudicii arcet, quin pro re nata ipsum & patronum
causae condigna afficit poena. Quo facto non tan-
tum omnis spes praescinditur, fore, vt pars, in in-
feriori instantia victrix, nouis defatigari possit vexis;
sed insimul etiam aliis iustus incutitur terror, quo
minus in posterum in causis manifesto iniustis appel-
lare conentur.
- d) Cum hic non, sicuti in reuisione, vt pars victrix a
succumbentis calumnia secura reddatur, a iuramento
calumniae vnice dependeat, sed aliud adhuc in prom-
tu sit remedium, nimirum, reiectio, & eam conco-
mitans poena friuolae appellationis.

XIX.

Praestatur hodie iuramentum reuisorium ex necessitate, parte reuisa etiam non petente a).

a) Vid. R. I. N. §. 125. "Soll auch zugleich so wohl die "Parthey, als der Advocat" quo R. D. de an. 1600. §. 145. daß eine jede Parthey ꝛ. derogatum est. Caeterum verba allegati R. I. N. in cit. §. 125. iuramentum reuisorium abzulegen ꝛ. non ita capienda, quasi intra quadrimestre introducendae actualis iuramenti reuisorii praestatio necessaria esset, cum in folius Camerae Imperialis arbitrio positum sit, quando partem reudentem eiusque aduocatum, vel potius vtriusque nomine, Notarium reuisionem introducendum ad eam admittere velit, sed de oblatione ad reuisionis iurandum intelligenda sunt, quae in ipso introductionis actu, & ante fatale elapsum sub poena desertionis fieri debet.

Quod si vel principalis Mennonista, vel alius hac in re scrupulosioris sectae assecla ex nimia scrupulositate iuramentum praestare recuset, an audiendus, dispensandus, an nuda eius assertio de non adhibenda calumnia in usu reuisionis sufficiens, an vero ob detrectatum reuisorium iuramentum reuizio deserta erit?

Nunc lubens quidem concedo, nunquam vim inferri debere conscientiae viui erroneae, & si Mennonista morum integritate ita conspicuus sit, vt fidem etiam iniuratus mereatur, conscientiam eius iurandi

randi religione onerare durum sane & superfluum videtur; accedit denique & hoc, quod leges ex ea solum ratione reuiforium iuramentum a parte reuidente eiusque aduocato exigant, ne friuolae interponantur reuisiones, & vt partes ob directatam huius iuramenti praestationem reuisione cadant, hoc ex fundamento statuunt, quia iurare nolens friuolam confiteatur interpositam reuisionem. Contra ea Mennonistae, dum ex nimia scrupulositate iurare recusant, indicium malae causae recusatione sua non produunt, sicque ratione legis cessante, eius etiam dispositio cesset oportet.

Nihilo fecius si Mennonista, vel alius huius generis homo iuramenti reuiforii praestationem recuset, ex mea quidem sententia, si priuato de quaestione indecisa, quid sentiat, ingenue profiteri licet, vix dubio locus erit, quin reuisio deserta habeatur.

Dispositio enim §. 125. R. I. N. *uniuersalis* est, ibique nemo, quisquis etiam sit, a praestatione iuramenti reuiforii & poena recusati huius iuramenti excipitur: nec Mennonista de vi conscientiae illata queri poterit, cum ad iurandum non simpliciter adigatur, sed in arbitrio eius positum sit, vtrum ad iuramentum reuisionis se offerre, illudque praestare, an vero casu quo non, Reuisionem desertam malit: quod si posterius eligat, desertionem causae peruicaciae suae acceptam ferat. Praeterea R. I. N. in cit. §pho 125. absque vilo respectu ad morum integritatem iuramenti reuiforii praestationem *simpliciter* iniungit; lege autem

non distinguente nec nostrum est distinguere. Et quis tibi sponsor erit, omnes Mennonistas etiam iniuratos conscientiae suae memores esse, atque re vera scrupulum sibi mouere illum, a quo exigitur iuramentum reuisionis? Quid si malitia vel simulatio intercedat? Tandem hic, ubi de Reuisionis remedio plerumque friuolo agitur, tantum abest, ut, quod leges ad restringendas Reuisiones introduxerunt, relaxetur, ut potius fines, quibus circumcluditur hocce remedium, in dubio adhuc magis arctari & constringi debeant. In huius Sectae autem fauorem singulare aliquod contra expressam legum sanctionem statuere recta ratio vix patitur.

Interim tamen, ne quid dissimulemus, cum in causa appellationis Hamburgensi: Gerhard de Wieger Johannis Sohn (appellantis) contra Pierre Boué & Sohn (appellatos); appellans Mennonista, ad praestationem solennium in iudicio a quo non admissus, ut sibi iuramentum appellationis in Camera nunc praestandum remitteretur, instaret, adducto eum in finem attestato iudiciali ipsius Magistratus Hamburgensis, quod nimirum Mennonistarum assertioni iniuratae: bey Mannen Wahrheit; non secus, ac iuramento fidem haberet, re ad *Consilium Plenum* delata, ibidem sub 28va Septembris 1763. decernebatur:

"Solle --- die praestatio iuramenti des Appellantens
 "noch zur Zeit ausgestellt gelassen, inzwischen durch
 "Lt. B. des Magistrats der Stadt Hamburg Erklä-
 "rung

”rung darüber Zeit eines Monats beygebracht wer-
”den, prorogatis interim eatenus fatalibus.

Insecuta quidem est declaratio iniuncta in rescripto a Magistratu Hamburgensi ad procuratorem suum dato, & ab hoc d. 10ma Nouembris ej. anni in Camera producto; sed decisio *Archiepiscopi Camevalis* finalis adhuc dum expectatur.

Qualiscunque autem haec aliquando futura sit, sententia, quam de Mennonistis ab iureiurando reuiforio non immunibus proposuimus, ea vix ac ne vix quidem infirmabitur.

Remanebit scilicet appellatio remedium fauorabile, & potius ampliandum, quam restringendum. Reuifio remedium minus fauorabile, & ex aperta Legislatorum intentione omnimode restringendum: Remanebit, inquam, maior Reuifionum abusus metus, remanebunt grauiora abusus incommoda, & exinde deriuata iuramenti reuiforii maior necessitas.

Quae omnia, vt mihi quidem persuasum habeo, efficiunt, ne iuramenti appellationis remissio vel potius dispensatio Mennonistae ab iuramento hoc, quando illa contigerit, ad euincendum, quod idem, casu emergente, intuitu iurisiurandi reuiforii obtinere debeat, peruerse allegetur, sicque contra omnem genuinam argumentandi rationem, a diuersis male quidem illatio fiat.

XX.

An in persona? Si quaestionis is sensus, vtrum
in

in persona praestari expediat, eam affirmare non dubito *a*). Sin vero eo tendit quaestio, an pars reuidens eiusue Aduocatus in persona illud iuramentum praecise praestare teneantur, negatiuam suggerunt Leges imperii *b*) & cum iis conueniens Augustissimi Iudicii Cameralis praxis notoria. Licet eo diffiteri nolim, quin parti reuidenti vel eius Aduocato in loco iudicii praesenti, vt in persona iuret, iniungi possit *c*).

- a*) Est enim, vti id testatur I. H. BOEHMER in Iur Eccl. Prot. Libr. 2. tit. 7. §. 5. "iuramentum talis actus, qui nisi ab ipso iurante peragatur, omnem fere autoritatem amittit.

Interim cum ex remotissimis Germaniae locis litigantes Camerae Imperialis auxilium implorent, qui, quotiescunque iuramentum praestandum, adesse nequeunt, dira necessitas veniae per Procuratorem iurandi concessae potissima, si non vnica fuit causa.

- b*) R. I. N. §pho 125. "Soll auch zugleich sowohl die Parthey als der Advocat entweder selbst oder vermittelst ihres bestellten Anwalts iuramentum reuisionum abzulegen schuldig und verbunden seyn.

Electio ergo reuidenti & Aduocati eius relictum est, vtrum in persona, an per procuratorem (qualis hic non Cameralis intelligitur) iurare malint.

- c*) Nam quod in nota praecedente de facultate parti reuidenti eiusue aduocato concessa per procuratorem iurandi

jurandi dictum est, terminos habiles praesupponit, si nimirum absque eorum graui incommodo fieri non possit, vt in persona iurent. Quod si nihilominus tali casu iuramentum reuiforium in persona praestare velint, licebit ipsis, cum quiuis fauori pro se introducto renunciare possit, & haectenus inter vtrumque electio ipsis libera.

Parte autem reuidente vel Aduocato in loco Iudicii praesente, nulla profecto subest causa, necessitatem in persona iurandi relaxandi. Cessat tunc causa veniae concessae, adeoque venia ipsa, &, cum hic commode fieri possit, vt principalis vel patronus causae praesens iuramentum reuiforium in persona praestet, dispositioni modo adductae R. I. N. in verbis: *entweder selbst &c.* nunc erit locus, nisi forsan ob dignitatem vr. gr. principalis *Comitis vel Bavonis*, vel aliam ob causam specialem exceptio statuenda videatur.

XXI.

Sufficit igitur, modo Notarius Reuifionem interponens duobus ad id mandatis specialibus *a)* instructus, ad iuramentum nomine partis reuidentis eiusque Aduocati praestandum se in audientia offerat *b)*, qui, nisi alia obstant, ad eius praestationem admittecur *c)*.

a) Haec intra quadrimestre interponendae producenda, cum Notarius Reuifionem introducens absque iis

D

ad

ad iuramentum reuiforium in principalis fui & eius Aduocati animas praestandum se offerre nequeat, quae tamen oblatio intra hocce fatale sub poena desertionis fieri debet.

Quapropter, nisi tempestiue producantur, reuifio pro deserta declarabitur, sin tempestiue quidem, sed vitiosa, pro rei exigentia intra certum tempus vitium vel corrigere, vel noua plane eaque legitima mandata exhibere sub poena desertionis iubentur. Quod si vitium in essentiali mandati (vr. gr. si ex subscriptione non constet, quis persona principalis vel aduocati sit) se exferat, reuifio itidem deserta erit, nisi elapso nondum fatali vitium illud corrigatur, ac nouum producatum mandatum. *de SCHELLWITZ in diff. cit. §. 27.*

- b) Mediante Recessu, post absolutos ordines Procuratorum omnium in quauis audientia, ab ipso demum recitando. Contigit tamen aliquando, vt Notarius ad recitationem Recessus sui extra ordinem admitti petierit? Quo iure? nescio. Inepta sane esset ambitio istiusmodi Notarii, si Procuratoribus Camerae comparari, & in eo petiti rationem collocare veller. Mandatarii sunt eorum, qui reuisionem petunt, sed inferioris longe subfellii homines. Nec vt ex speciali gratia petuis annuatur, spem vllam concipere potest, qui nihil proponit, quod non simul contra Imperialem Camerae directum sit. Hoc cogitent Notarii, si, quam praeuidere poterant, precum insolentium repulsam ferant.

c) Prae-

c) Praestito iuramento introductio Reuisionis absoluitur, ita, vt ex nunc plane cesset officium Notarii in Camera Imperiali. Quod si nihilominus in causa agere, & Recessus recitare ex nimia arrogantia pergit, cum indignatione repellitur. Sic in causa supra memorata Jud. Hdscher contra Nassau & Dillenburg d. 17. Iulii 1762. pronunciatum est:

"Dann wird Not. H. sein ungebührliches Necessiren
"in dieser Sache hiermit alles Ernstes verwiesen, und
"untersagt, mit der Verwarnung, daß er widrigen
"falls von seinem Notariat Amt suspendiret seyn solle.

XXII.

Res ipsa autem loquitur, mandatorum ad iurandum vnum exemplar a parte reidente a) alterum ab Aduocato vt propria manu subscriptum & subsignatum sit, necesse esse b).

a) Quod Status, si reuisione vitur, iuramentum reuiforium praestare, sicque mandatum speciale ad iurandum Notario reidenti transmittere teneatur, de eo nusquam disceptatum, nec in posterum facile disceptabitur, cum verba R. I. N. Soll sowohl die Parthey zc. hac in re nulli dubio obnoxia sint. Ast, quod mirandum, licet Status Imperii ad iuramenti reuiforii praestationem se obligatos esse diffiteri nequeant, nihilominus tamen factum, vt, quae exinde bona consequentia deducebatur, subscriptionem mandati ad iurandum specialis, suapte natura propria manu dantis peragendam subinde abnuerent, & Regi-

minum vel Cancelliarum subscriptionem in suis quar-
partium mandatis pro sufficienti haberi uellent. Par-
uam autem, ut uerba *Dni de SCHELLWITZ* in fac-
pius cit. *Diss.* §. 26. in fine mea faciam, " & non essen-
" tialem offensiunculam cum hoc iudicauerit Camera
" alius solum terminus ad producendum legitime sub-
" scriptum mandatum praefixus, eoque facto Nota-
" rius ad iuramentum admissus est.

Nouissimum praecidium extat in *Sachen Sayn*
Wittgenstein contra *Hessen, Darmstadt und Nassau*
Dillenburg citat. In qua causa, cum Notarius Reui-
sionem introducens mandatum loco principalis a Re-
gimine *Dillenburgico* subscriptum produxerit, d. 17.
Iulii, 1765. sic pronunciatum est:

" Ist sein Not. H. puncto Ablegung des iuramenti
" reuisionis beschenehen Begehren noch zur Zeit abge-
" schlagen, sondern würde derselbe eine von Fürstlicher
" Nassau = Oranischen Vormundschaft selbst verseehe,
" ne Vollmacht beybringen, soll ferner ergehen, was
" recht ist.

b) Quid de quaestione statuendum sit: num mandatum
ad iurandum speciale subscribenti uti liceat abbrevia-
ruris notis litterarum? non nemo facile assequetur,
subscribentem hic in re grauioris momenti uersari
ponderans, ubi generatim moribus receptum esse, ut
totum nomen subscribatur, non uero breuiatum. Tes-
tis fide dignus est I. P. de LVDEWIG. in *diss.* de
nexu scripturae & subscriptoris. C. V. §. 4. Si princi-
palis sit analphabetus, subscriptio ab alio quidem, ex
prae-

praescripta tamen in R. I. N. §. 43. oder wer des Schreibens nicht kundig zc. zc. norma fiet.

§. XXIII.

Nec quaevis generalis subscriptio statim pro sufficienti habenda erit *a*), sed ea demum, quae prae aliis conscientiam subscribentium stringit *b*), & ex qua speciatim constat, quis persona reudentis vel eius aduocati sit *c*).

- a*) Prima enim semper fuit & adhuc est Legislatorum, nec minus Iudicis cura efficiendi, ne litigantes, ubi iurandi necessitas ipsis incumbit, id temere & inconsiderate faciant, sicque, dum iuramenta ludibrio habent, Nomen Diuinum profanent. Quo maioris momenti autem ea res minusque temere in ista versari decet, eo accuratiore cautione opus est.
- b*) An ergo subscriptio a Magistratu ciuitatis vel alia persona mystica nomine collectiuo (vr. gr. Burgermeister und Rath) facta?

Pro affirmatiua quaestionis facit, quod singuli non debeant, quod vniuersitas vel collegium debet, vtque Magistratus in causis se tangentibus (non singula eius membra) personam partis seu principalis sustinet, ita etiam, sicubi in tali causa reuisio interponitur, Mandati a principali ad iurandum dandi subscriptionem ab ipso nomine collectiuo, minus recte a singulis membris peragi videtur, idque eo magis, cum generalis eiusmodi subscriptio conscientiam stringat


omnium, qui Magistratum vel aliud collegium constituunt.

Quo minus tamen Camera Imperialis praesertim si Reuisionem interpositam friuolam animaduertit, eiusmodi subscriptionem pro insufficienti declaret, & huius loco aliam a singulis Magistratus vel alius collegii membris maioris partis peragendam exigat, modo adducta non impedient. Constat equidem, Senatui aut cuius alii collegio iuramentum deferenti permitti, eos de collegio nominare, quibus melior certiorque facti, super quo iurandum, est notitia, & Senatum necesse habere, iis iuramentum suo nomine praestandum mandare. MEVIUS P. IV. *Decis.* 161. iuncta *Decis.* 203. *Partis VI.* Quod autem privato cuique facere integrum, hoc *Summo Imperii Tribunali* denegare velle summa erit iniuria. Et quo pacto illud, quaeso, Reuisionum abusum praecauere poterit, adempta ipsi facultate omnimoda, exigendi, quae ne ludibrio habeatur iuramentum reuisorium, faciunt.

Quocirca vix ac ne vix quidem erit vlla dubitandi ratio, quin *Augustissimum Imperialis Camerae Iudicium* Senatui vel alii cuidam collegio ad reuisionis remedium conuolanti iure optimo iniungat, vt iis ex collegio iuramentum reuisorium suo nomine praestandum, vel vbi per Notarium praestatur iusiurandum reuisorium, Mandati specialis ad iurandum a se dandi subscriptionem (quippe in locum personalis praestationis surrogatam) suo nomine peragendam demandet, quorum potissimum votis factum est, vt Reuisionis

fio interponeretur, quosue ideo de materialibus causae, in qua Reuisio petitur, informatos esse oportebat. Ad minimum subscriptioni tali a singulis Senatus membris peragenda ad constringendam subscribentium conscientiam, ut & eos a friuolae reuisionis interpositione deterrendos vis maior inest, ac subscriptioni nomine collectiuo factae; & ista demum fiet, ut, quae ex posteriori subscribendi modo intuitu personarum non potest non exoriri incertitudo, quot nempe numero, & quinam sigillatim illi sint, in quorum animas se iurare Notarius praetendit, ex nunc euitetur.

- c) Quaestioni huc facienti: vtrum in causa illustri totum Regimen vel Cancellaria Mandatum alterum ad iurandum ab Aduocato dandum recte subscribat, nec ne? non immoror. Discussit eam AVCTOR *Diss.* saepius laudatae de *Reuis. remed.* ex LL. Imp. & praxi Camerali. §. 27. Quocirca ne rem actam agere velle videar, finem dicendi hic facio.



Giessen, Diss., 1766-70

X 2396520

V
D
18

ULB Halle

3

007 662 912







1766, 6 / 8

THEMA INAUGURALE
DE

IVSTA REVISIONIS
SENTENTIARVM CAMERALIVM
RESTRICTIONE,

IN ALIQVOT THESES REDACTVM

QVAS

SINE PRAESIDE

EX DECRETO ET AVCTORITATE

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

CELEBERRIMA LVDOVICIANA

PRO

GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQVENDO

AD DIEM X. IVNII A. R. S. CIO IOCC LXVI.

PLACIDO

EXCELLENTISSIMORVM PROCERVVM EXAMINI

SVEMITTIT

WILHELMVS CHRISTIANVS
ROTBERG

WETZLARIENSIS.



G I S S A E

EX OFFICINA BRAVNIA.

17